

9



27.

Programma

IN FVNERE

Optimi Doctissimiq; Adolescentis

HENRICI SCRIVERII ROSTOCHIEN-

SIS HVMANIORVM LITE-

rarum & Philosophiæ

Studiofi,

IN ACADEMIA JVLIA

P. P.

Anno clō lō c XXIIIX.

Die XI. Februarij.



HELMÆSTADĪ

Typis FACOBĪ LVCII.

Anno clō lō c XXXIIIX.

49

20



PROGNUM

IN F. N. E. R. E.

Quintus D. ...

HENRICI SCRI

VERI ROSTOCHIE

212 HVMANIORVM LITE

rum & Philologiae

studij

ACADEMIA PNLIA

P. R.

anno d. m. c. c. c. l. i. x.

Die XXI. Februarij.




HELMVESTADI

Typo F. A. COBI. V. A. C. I. I.

Anno d. m. c. c. c. l. i. x.





PRORECTOR ET SENATUS
ACADEMIÆ IVLIÆ

CIVIBVS SVIS S. D.

N Vdius quartus intra XI. & XIIam
noctis horam, cum illa beata &
æterna vita hanc miseram atque
caducam commutavit *HENRI-*
CVS SCRIVERIVS ROSTOCHI-
ENSIS, elegantis ingenij, assiduitatis egregiæ
& Optimorum, quod caput est rei, morum A-
dolescens. Natus is est Anno cIo Io c XIX.
parentibus honestissimis, Patre quidem *IOA-*
CHIMO SCRIVERIO, matre verò *ELISA*
Rastens / à quibus, utpote in re sic satis lauta
constitutis, (nam & mercaturam exercuerat pa-
ter, & propriis navibus etiam alienas per maria
passim provexerat merces) statim in ludum lit-
terarium missus, ibi operam rudimentis dedit.
Quæ cum fideliter jam percepisset, ad Acade-
mica huc tandem studia sub initium veris an-
no superiore se contulit, etsi jam antea per in-
tegrum propè biennium trivialia hîc tractasset,
atq; haud poenitendos in ædibus Amitæ suæ fe-
cisset progressus, quam matronam honestissi-
mam,

mam, *HENRICI Züten* / oppidi hujus primarij quondam civis, relictam viduam omnes jam nostis. Hæc igitur, quòd cum patre piè defuncti, ex iisdem parentibus esset prognata, matre videlicet *CATHARINA BIERMAN-
NIA*, patre autem *IOACHIMO SCRIVERIO*, quem cœnobio Ægidiano apud Brunsvicenses quondam à rationibus fuisse percepimus; non potuit non tenerrimo hunc nostrum amore profèqui. Clauserat jam ante sexennium cū magno sororis suæ dolore ultimum vitæ diem *HENRICI* parens, nec quicquam magis illa pertimescebat, quam ne quid caperet hujus si-
ve educatio siue institutio detrimenti. Nescia quippe vix esse poterat, Si hac in re neglectum aliquid fortè fuisset, id toto dein reliquo vitæ spacio difficulter fartum iri. Itaque maturè cum matre egit, ut, dum ipsa domi ceterorum curam gereret, hunc sibi remitteret filium, factura id ipsum, quòd à propriis parentibus liberi solent præstolari. Neque verò de victu tantum & amictu, de commodo Museo & cubili, de medicamentis quæis nunquam non ferè indigebat, de ceteris denique ad corpus pertinentibus rebus ei, quamdiu hic fuit, abundè prospexit, sed de formandis moribus & imbuenda honestissimis artibus mente, id est, de a-
nimi

nimi pabulo præcipuè fuit sollicita. Quam
quidem rem totam Cl. SCHEURLAEO, col-
legæ nostro carissimo, demandavit, qui etiam
informatorem ei dedit CONRADVM *Menschen-
theich*/ commilitonem vestrum, quò per itine-
ra à sese commonstrata facilius duceretur.
Iamque emensi erant nonnullos Optimorum
autorum campos, & gratulabantur sibi de feli-
ci successu tam præceptor ipse cum discipulo,
quam, cujus inspectioni concrediti erant utri-
usq; labores, collega noster. Ad hunc enim
illius jussu ejusmodi nonnunquam epistolia e-
xarabat, quæ facile ostenderent, non auribus
tantum, quæ præponerentur, hausta, sed in suc-
cum, quod dicitur, & sanguinem fuisse con-
versa. Norat quippe ac fatebatur, quum alia
multa eaq; præclara commoda bonarum arti-
um studia afferre, tum verò nullum præstantius
esse, aut necessarium magis, quam *quòd ad probi-
tatem morum vitæq; sanctimoniam cultores suos exci-
tarent.* Et agnoscebat quidem ingeneratos no-
bis à natura parvulos quosdam virtutis agnicu-
los; sed ipsos illos celeriter, aut moribus malis,
aut opinionibus depravatis, extinguì, nisi do-
ctrina foveantur atq; exsuscitentur; id quoque
pro certò habebat. Non ostentationi disce-
debat aut vanæ gloriæ, sed virtuti & emenda-
tioni

tioni vitæ: ita quidem, ut virilem ætatem ipsa
in adolescentia agnoscerent, qui paullo fre-
quentius cum eo versarentur. Iurgari cum ne-
mine, nemini non benedicere, nihil ab aliis ex-
spectare, integrum se omnibus præstare, & in
rebus omnibus, solebat. Diceres, jam frœnos
affectibus injicere didicisse eâ ætate, quam ob
horundem tumultus, ne aptam quidem præce-
ptis vitæ audiendis fatetur Aristoteles; adeo
modestè sobrièq; vivebat, adeo voluptates o-
mnes aspernabatur. Utinam verò id dici de o-
mnibus posset, qui studiorum gratia à suis in A-
cademias mittuntur. Minus profectò offende-
retur DEVS: læderetur Magistratus: parentes
perturbarentur: commoverentur præcepto-
res dolerent viri boni & graves: malè audiret
apud quamplurimos res tota literaria. Est fa-
nè cognatis solatium longè maximum, si vel à
morte ob diligentiam in literis & probitatem
in moribus laudentur, qui ad has Regias ab i-
psis sunt missi scholas. Sicuti ex adverso non
potest eosdem non turbare, si suos, quòd
in omnia contraria non tam pedibus eant
quam toto ruant impetu, etiam vivos adhuc
Brutiorum & Rudiorum coloniis à Senatu po-
puloq; Doctorum audiant adscriptos esse. Ce-
terum ut ad Defunctum redeamus; cerebro e-
um à

um à prima statim nativitate humidiori fuisse,
medicorum filij existimant. Inde creberrimas
defluxiones exortas, quæ modo hanc modò il-
lam corporis partem infestarent. Ante septen-
nium certè in foedam scabiem ei resoluta fuit
integra fermè capitis superficies, quâ DEI &
Medicorum Chirurgorumq; auxilio perfanatâ,
in brachio dextro tumoris illud genus quod
ὀδῆμα Galeno dicitur, persentiscere cepit, eoq;
diuturnitate temporis aperto, & singulis annis
ad tempus haud exiguum instar fonticuli pro-
manante, mense ab hinc decimo superiore sub
axillis & in musculo pectorali ejusdem lateris
novis defluxionibus & tumoribus, aliquando
robore naturæ propulsis & ad apertis, quandoq;
etiã ad pectoris cavitatem vicinosq; pulmones
sponte suâ retrocedentibus, tandem in lentam
tabem est delapsus. Quum igitur Deo Opt.
Max. ita videretur, ut eum ex hac nostra ad æ-
ternam illam scholam evocaret, ipseque hujus
rei nonnulla penas se indicia deprehenderet,
sanctissimo Corporis & Sanguinis salvifici via-
tico ante dies non adeò multos instructus, eo
quo diximus tempore, diem suum placidissimè,
uti vixit, ita & clausit, frustra renitentibus Me-
dicis, chirurgis & adstantibus ceteris, ipsâque
adeò illâ, quam, ut scitis, matris loco meritò
semper

semper coluit & veneratus est. Gratulemur
ergo Iuveni felicissimo celerem hunc & felicem
ad cœlestem Academiam migrationem potius,
quam ejus hanc sortem deploremus; planè ut
eos qui, excitatâ in mari tempestate, navibus a-
liis vel fluctibus oppressis, vel in scopulos illi-
sis, vel ab instituto cursu rejectis, vi atq; impetu
ventorum omni superato, in portum perveni-
unt, non miseros sed beatos judicare solemus.
Hodie funus ei faciet horâ I. Amita, de qua di-
ximus, mœstissima: ante cujus ædes univer-
sum ordinem Academicum comparere par est,
ut piè defuncto hoc ultimum officium præste-
mus, quo utinam cognatis minimùm subleve-
tur dolor: simulq; piis meditationibus, quas
& exequiarum tempus & imminentes denuò
capitibus nostris calamitates postulant, occu-
pemur. V. O. Helmstadi in Illustri Iulia
P. P. Ipsâ Dominica INVOCAVIT,
Anno clò Io cXXXIIX,




35. Progr. in Jun. Ottiliae Steinemannae, Com. Hornung conjug. 1661.
 36. Bodomeieri phil. et theol. stud. 1663.
 37. Fickaderi progr. orationi — a deausfelt joann. 1663.
 38. progr. in Jun. puellae An. Mariae Krohn. 1666.
 39. — — — An. Marg. Vogleri. 1666.
 40. — — — puellae Joh. Rinnersi. 1666.
 41. — — — puellae Joh. Rinnersi. 1666.
 42. — — — An. Eleon. Meieri. 1666.
 43. Carmin. grat. ad Thurnmannum. 1667.
 44. Ode in civitatem. 1678.
 45. Andr. Herm. Hellberg gratulantis Acad. Juliae prof. 1678.
 46. Progr. Henrici Widchurzi. 1680.
 47. Fest. nupt. Carpi. Anulori Sumbrecht. 1678.
 48. Lat. ac debet. officium ad unadum. 1678.
 49. Pia vota ad Lud. Fabrum sponsum et — Jonnam. 1679.
 50. Progr. in Jun. matris. Pornemanniae, Tannmanni viduae. 1681.
 51. Progr. Joh. Reupen. 1709.
 52. Progr. in Jun. An. Cath. Rinerichae, Hornung conjug. 1649.
 53. Progr. XII Nov. A 1693.
 54. — in Jun. An. Soph. Schmerhenniae, Suth. Theod. Meieri vid. 1702.
 55. — Agnesae Krohnen, Carp. Torberi vid. 1712.
 56. Abhandlungssatz abguldtr von Voigt.
 57. Progr. in Jun. Hamburgi Sizi. 1714.
 58. Catalogus scriptorum in div. acad. editorum. 1732.
 59. Progr. in Jun. Carolif phil. stud. 1757.
 60. Memoria Toppii 1757.
 61. — Seidlii. 1758.
 62. — Laur. Heisteri. 1758.
 63. De vita Frobesii. 1756.
 64. Gratia panegyri. in diva nat. pini. Friderici V, laur. et
 65. De des principito. Progr. sac. Christi natal. his. 1759.
 66. Progr. in fest. Michaelis. 1762. —


Gl
1233

Nonnulla derunt

ULB Halle 3
001 920 952





27.

mma
N E R E
q² Adolescentis
I S C R I -
O C H I E N -
R V M L I T E -
lofophiæ
fi,
IA JVLIA

XXIIIX.
bruarij.



STADI
I LVCII.
c XXXIIIX.

49

20

